

est: An vero, ut simpliciter societas est, divino Spiritus ducta, & animata; id est, Ecclesie animam spiritumque tantum, non corpus. Verba ejus sunt: An Ecclesiam eo sensu acceptam Quenellus citatis locis definiat... viderit ipse. Quae ultima verba qualiter concordent cum illo ejus epithemate: Muta sunt labia dolosa, qua loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia; & in abusione, non video. Rogo interim Auctorem illum, ut verba Quenelli mox adducta, & sequentia, expendere velit; Nota, & proprietates Ecclesie Christianae 1. Est visibilis velut mons. 2. una, velut civitas... 3. Sancta, velut caelestis Jerusalem, per adorationem suam in spiritu, & veritate, & sacrificium suum, & per Religionem, & caritatem suam. 4. Catholica, Angelos caelestes omnes continens, & omnes electos, ac justos, qui in terra sunt, & omnium Saeculorum. 6. Divina, velut opus, & habitatio Dei. 7. Christiana habens J. C. mediatorum, Pontificem, victimam & advocatum per sanguinem suum. Ita Quenellus Hebr. 12. v. 22. 23. & 24. edit. latine. (1) Ex quo loco prima hic relata propositio desumpta fuit. Loquitur ergo Quenellus de Ecclesie corpore, nedum spiritu, ac proinde meritis condempnatus est; fatente Theol. Suppl. Ecclesiam, (2) ut externa quadam visibilisque societas est, insignes etiam complecti peccatores ac reprobos.

III. At vero, inquit ille, (3) Ecclesie definitionem quatuor illis propositionibus datam, qua scilicet, tacitis peccatoribus, ex justis constat dicitur; homogenei unus, una persona; (Capus & membra, Christus nimirum & justis) nuncupatur, iisdem plane verbis dedere D. Augustinus & D. Gregorius M. Ac si, felicitet! Quenellus aliud nihil docuisset, quam SS. Patres illi, & Ecclesiam tacitis unice peccatoribus definiisset! Unde in fine illius §. insolentissime petis: Numne, post definitionem Clementis XI., Ecclesiam definire aliquando liceat, ut eam Augustinus & Gregorius definiere? Ut nihil dicam de temeraria percunctatione ista, falsissimum est, illis quatuor propositionibus solum tacite praeteriri peccatores, non positive excludi: falsissimum item est, iisdem plane verbis dedisse SS. Patres illos definitionem Ecclesie, Singula probe-rans.

IV. Ac primi quidem falsitas patet abunde ex secunda propositione: juxta quam Ecclesia est corpus fidelium Dei, manentium in ejus sinu; peccatores non manent in Dei sinu. Adoptatorum in Christo: reprobi non sunt tales. Redemptorum ejus sanguine: at Christus, juxta prop. 32. morti se tradidit ad liberandum... primogenitos, id est electos, non reprobos: rursus ergo reprobi hic excluduntur. Hoc adeo peremptorium est, ut Auctor Theol. Suppl. omni abjecto pudore accusans Ecclesiam Dei truncationis & mutilationis propositionem Quenelli; quod falsissimum esse non semel demonstratum est: coactus fuerit propositionem, hic ordine secundam, mutilare, illaque particulas expungere, non secus ac sequentes subsistentium in ejus persona; loco quarum ponit, subsistentium in ejus spiritu: cum tamen Quenellus, omnia illa, tam in editionibus gallicis Ann. 1693. & 1696. quam latina 1695. distinctissime habeat; prout pag. 10. num. 9. ad oculum demonstratum est. Rursus excludit Quenellus peccatores, asserens Ecclesiam coetum hominum viventium ejus spiritu, Dei videlicet: qui spiritus, quemadmodum habet ad Gal. 4. v. 4. §. 6. & 7. non est nisi pro filiis. Sequitur. Agentium per ejus gratiam: hoc rursus de peccatoribus intelligi haud potest in principiis Quenelli; siquidem prima gratia est remissio peccato-

(1) An. 1695. (2) Pag. 86. (3) Pag. 85.

rum juxta aptius prop. 28., atque fides justificat quando operatur; & non operatur nisi per caritatem, juxta prop. 51. Ex quibus omnibus, nisi ego plurimum fallar, satis constat Quenellum ab Ecclesia visibili positive excludisse peccatores.

V. Idem probari potest ex prima hic relata propositione, si consideretur cum illis adjunctis quibusdam extat in libro Reflexionum moralium Hebr. 12. v. 22. 23., & 24. ubi inter notas Ecclesie christianae secundo loco ponit: Una velut Civitas, cujus partes omnes Spiritu Dei uniuertur: scilicet autem quod Spiritus Dei, juxta Quenelli verba num. praeced. relata, non est nisi pro Filiis Dei: rursus ergo reprobi excluduntur, & peccatores. Tertia Ecclesie nota ponitur, Sancta velut caelestis Jerusalem, per adorationem suam in spiritu, & veritate, per sacrificium suum, & per religionem, & caritatem suam. Verum peccatores caritatem non habent: ergo nec adorationem in spiritu, & veritate, nec sacrificium, nec religionem; cum juxta 58. Quenellianam, Nec Deus est nec religio, ubi non est caritas. Ergo peccatores foras: praefertim quia Ecclesia, juxta hanc tertiam notam Quenellianam, est Sancta velut caelestis Jerusalem; in qua certo certius nullus est peccator. Sequitur deinde apud Quenellum 4. conditio. Haec est ipsa prima propositio damnata ex iis, quas praemanibus habemus. Hac excludi peccatores ab Ecclesia ex adjunctis jam probatum fat est. Videamus an idem ex ipsis propositionis terminis non eliciatur. Sic ergo sonat. Nota Ecclesie christiane est, quod sit catholica, comprehendens & omnes Angelos caeli, & omnes electos, & omnes justos terre, & omnium saeculorum: at peccatores, etiam fidem & spem habentes, non sunt Angeli caeli, nec sunt justi: igitur ex ipsis terminis propositionis damnatae excluduntur ab Ecclesia. Sed inter peccatores aliqui esse possunt electi. Respondeo 1. ergo saltem reliqui, non electi, manent exclusi. 2. Illi peccatores, qui forte sunt de numero electorum, nullum habent defecto influxum a Jesu Christo, juxta Quenellum; qui ponit remissionem peccatorum esse primum influxum: (prop. 28.) igitur hic & nunc, dum peccatores exiunt, non sunt in Ecclesia, qui est coetus fidelium Dei, manentium in ejus sinu &c. Vide prop. 2. Patet ergo quod omnes peccatores, actu tales, & ex propriis terminis 1. propositionis condempnatae, & ex adjunctis in lib. de Reflexion. Moral. ab Ecclesia excludantur.

VI. Tantundem habetur ex prop. tertia. Licet enim sano sensu dici possit: Ecclesia incarnatum verbum habet ut caput, omnes vero Sanctos ut membra, addendo, vel subintelligendo illud de membris vivis, seu primariis; quo modo loquendi non censetur excludi peccatores: at tamen dici non potest, quin excludantur peccatores, adeoque sine errore, quod verbum incarnatum & sancti, sint integer Christus, sive Ecclesia, vel ut habet versio latina Reflex. Moral. Ecclesia vel Jesus Christus TOTUS: sicut dici non potest quod totus sit integer homo, sit caput, collum, humeri, brachia, & qui hoc diceret, censeretur ventrem, crura, pedes &c. excludere. Idem ergo dicendum de hac propositione: Ecclesia, sive INTEGER Christus, incarnatum verbum habet ut caput: omnes vero Sanctos ut membra. Idem etiam habetur ex ultima propositione. Air enim: Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris... Unus solus Christus, compositus ex pluribus Sanctis, quorum est sanctificator. Ecce pluralitas membrorum explicatur pluralitate Sanctorum: ubi ergo peccatores?

VII. Sed,

VII. Sed, Quenellus alias saepius bonis simul & malos, justos atque injustos, electos & reprobos in Ecclesia corpore comprehendit docet, inquit Auctor Theol. Suppl. (1) Produxisset saltem locum unicum quem discurrere potuissemus. At supponatur hoc ita se habere: an propterea propositiones illae, manifeste excludentes ab Ecclesia peccatores, non erant damnandae? Imo vero vel ideo foret condemnandus Quenellus: convinceretur enim duplicem, uti Protestantibus fecerit 16.; admittere Ecclesiam militantem, ut partibus & membris & definitione, ita multis proprietatibus differentes. De Protestantibus ita Smitheus in Collatione doctrinae Cathol. ac Protestant. pag. 222. Etenim juxta ipsos, inquit, partes seu membra invisibilis Ecclesiae, sunt solum justis & electis: partes seu membra visibilis Ecclesiae, sunt justis & injustis, electis & reprobis. Definitio Ecclesiae invisibilis est: Societas in fide justificatae, & praedestinatione. Ecce Ecclesiam quam designat Quenellus, in 4. istis damnatis articulis? Definitio visibilis est: Societas in professione vere fidei & legitimo usu Sacramentorum. Invisibilis videtur potest a solo Deo; visibilis etiam ab hominibus. Contra istam portam interi non possunt praevallere, contra istam possunt. Ille non potest induci in errorem, saltem fundamentalem: ista potest. Illa non potest tota peire: ista potest. Illa creditur a Protestantibus in Symbolo, non ista. Illa non habet notas visibiles quibus discernatur ab aliis societatis: ista habet. Si ergo utraque ista societas sit vera Ecclesia coram Deo; necesse est ut sit duplex vera societas Ecclesiastica, scilicet, seu duplex Ecclesia militans: nam una eademque societas seu Ecclesia non potest & partibus & definitione, & tot tantisque proprietatibus a seipsa differere. Huc fuge Smitheus. (2) Videri etiam potest noster Emin. S. R. E. Card. Gotti. (3) Itaque si Quenellus praeter Ecclesiam, illis 4. propp. damnatis designatam, aliam etiam admiserit, in qua sint peccatores; duplicem admiserit Ecclesiam, definitione, partibus, seu membris, natura, & proprietatibus differentem, quod causam ejus nihilo meliorem, sed ipsam calvinistam facit.

VIII. Videamus nunc an SS. PP. Augustinus & Gregorius ista sententia plane verbis, ut asserit Theol. Suppl. (4) definitionem Ecclesiae dederint ac Quenellus. Consulit loca ab Auctore illo citata, & obstat: Ubi frons, inquam, ubi verecundia? Nam Patres istis illis ipsis locis ab adversario citatis, tam abesse ut de peccatoribus taceant, qui potius expresso dicant, etiam hos in Ecclesia esse. Accipia verba S. Augustini. (5) Quibus omnibus consideratis, pro me non temere dicere, alios ita esse in Domino Dei (quae est Ecclesia) ut ipsi etiam sint eadem Dominus Dei... Haec quippe in bonis fidelibus est, & Sanctis Dei servis, ubique dispersis & spirituali unitate devinctis in eadem communionis Sanctorum... alios autem dici esse in domo, ut non pertineant ad compagem domus, nec ad Societatem fructifera pacificaque justitiae, sed sicut esse palea, dicitur in frumentis. NAM ET ISTOS ESSE IN DOMO, NEGARE NON POSSUMUS, dicens Apostolo, (6) in magna autem domo non solum aurea, vel argentea, sed & lignea & fistula: & alia quidem sunt in honorem, alia vero in contumeliam. Hoc est definitio Ecclesiam tacitis peccatoribus? Imo sufficere citare Augustini librum contra Donatistas, asserentes malos non esse in Ecclesia; & statim intelligimus librum, quo error hic Quenelli funditus evertitur: ut stupens non Jerry Tom. V. dicitur.

dum sit Auctorem Theol. Suppl. ad hunc librum recurrere.

IX. Citat quoque Exposit. in psal. 35. quasi ibi diceret Augustinus. Quomodo non est unus homo, qui unum habet caput? Caput omnium nostrum Christus est: corpus illius capit omnes sanus. Levi oculo percurri totam expositionem, aut verba illa non offendi. Sed dicat illa Augustinus: nonne dicens, Corpus illius capitis OMNES SUMUS; factis indicavit etiam malos (nisi fingas Augustinum per revelationem; aliter enim id scire non poterat; scivisse, omnes praesentes illi enarrationi fuisse praedestinos & justos) ad Ecclesiam Dei pertinere? Si haec non tibi sufficiunt, en verba clarissima Augustini ex eadem ipsa enarratione ad v. 10. Judicia tua abyssus multa &c. Latine dicam; inquit Augustinus, ut melius intelligamus, in Ecclesia Christi invenis abyssum, invenis & mones: invenis ibi pauciores bonos; quia motus pauci sunt, abyssus lata est: id est, MULTOS MALE VIVENTES ab ira Dei, qui se egerunt, ut traderentur in concupiscentias cordis sui, ut iam deserant peccata sua, & non consecratur, sed dicant: Quare? Quid feci?

X. Jam vero Gregorius non minus clare peccatores in Ecclesia esse dicit, etiam loco illo qui citatur tamquam nobis adversaretur. Lib. 23. Moralium cap. 1. num. 2. Christum & Ecclesiam exgetis patientissimi Job, unus persona, rede nobis indotescere asserit, quia Christum & Ecclesiam unam personam credimus. Sequitur autem num. 3. Uxor vero ejus, quae cum ad maledicendum provocata, quid aliud quam probitatem concilium significat? Qui INTRA ECCLESIAM SANCTAM incorruptis moribus POSITI, eo divinis vitam salutem, quo vicinis praemittunt: quia dum vitari a se debent quasi fideles nequam, tanto gravius, quanto & interior tolerantur. Ecce ergo ex Gregorio pravi cum bonis unam Ecclesiam constituant. Aliud Gregorii testimonium, quod refert Auctor ille, (7) Ecclesia, quot Sanctos producit, tot palmes misit; nihil ad rem facit: fatentur enim perquam libenter, Ecclesiam, quot Sanctos producit, quasi tot palmes virentes, florescentes, fructiferasque misisse: tales non sunt peccatores. Sunt tamen palmes, sed crescentes, vel aridae, & seiscendunt demum ac in ignem mittendi, nisi reficiantur. Sed de his rursus in sequenti paragrapho interim nota Lector, falsum esse Auctorem Theol. Suppl. dum scripsit, SS. Patres illos Ecclesiam definiisse tacitis peccatoribus.

§. II.

Propositiones Quenellianae, censura notatae.

Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes electi & justis omnium Saeculorum illam componunt. Est 76. Quenell. Ephes. 2. v. 20. 21. & 22. Qui non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro capite. Est 77. Quenell. 1. Joan. 2. v. 22. Separatur quis a populo electo (cujus figura fuit populus Iudeorum, & caput est Christus) tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio. Est 78. Quenell. Act. 3. v. 23.

XI. Quae praecedenti §. dicta sunt, ex hisce propositionibus novum acquirunt roborem. Ecce enim Quenellus depradicans spatiose Ecclesiae Dei a-

(1) (1.) Tom. 86. (2.) Tom. 12. (3.) Theol. pag. 403. n. 17. (4.) Pag. 85. (5.) Lib. 7. de Bapt. contra Don. cap. 51. (6.) 2. Tim. 1. 20. (7.) Ex Homil. 19. in Evang.

exclamant in edit. Latina Reflex. Moral. (1) *Quam vere Ecclesia tua, O Deus meus! est magnum aliquid & admirabile... Nihil aque spatiosum, cum omnes electi, omniumque seculorum iusti illud componant.* Nonne hic locus erat aliquam peccatorum mentionem ingerendi, quo augetur tanto spiritu declamata spatiositas Ecclesiae? Sed alium de peccatoribus silet Paschasius; ab Augustino, uti olim Pelagius, ob affectatum suum silentium, condemnandus. (2) Miram profecto quod hic rursus non accerserit Angelos caeli, veluti in prop. 72., ne exclusionem peccatorum Ecclesiae potestatis nimis videretur restringere. Puto Quesnellum adeo ridiculum apparuisse, ut ad faciendum fucum simplicibus, semel expressisse, erubuerit idem fecundo inculcare. Enimvero, quid ridiculum magis, quam Angelos ad eam Ecclesiam spectare, quae est *visibilis sicut mens*; quod de Ecclesia Quesnellus praedicat, ut ex d. praeced. patet. Nugatur ergo Quesnellus ac fucum facit lectoribus, dum hiant ore exclamant? *Quam vere Ecclesia tua, Deus meus! est magnum aliquid... Nihil spatiosius &c.* Cum ex una parte demendi sint Angeli, ex alia ipse excludat peccatores: in veteri etiam lege vix aliquos ad Ecclesiam pertinuisse fabuletur, dum ait: Moysem, Prophetas ac Sacerdotes veteri testamenti mortuos esse, *absque eo quod ULLUM Deo dederint filium.* Est prop. 65. Quid autem de novo testamento? Ecce prop. 77. excludit omnes illos qui non ducunt vitam dignam filio Dei & membro Christi. Porro quam pauci sunt illi qui simi lem vitam agunt? Qui vel unum unicum peccatum committit mortale, talem vitam haud ducit: excludendus ergo iterum ab Ecclesia numerus innumerabilis. Verum hic nondum sinit Quesnellus praeposterus zelus: quippe si eius principii stetur, omnes illi ulterius excludendi sunt, qui timore poenae a peccatis se continent. Vis id probem?

XII. Probo, Extra Ecclesiam est, qui non habet Deum pro patre & Christum pro capite: hic est, qui non ducit vitam dignam filio Dei & membro Christi, ex prop. 77.; si iam ulterius inquiramus a Quesnello, quid sit ducere vitam dignam filio Dei & membro Christi? Respondere non potest, esse ex timore vivere; hoc enim Judaeos faciebat mancipia, iuxta prop. 65. Quid ergo est? Est vivere per fidem, & amorem, iuxta prop. 66. id est, per caritatem; quia non sunt nisi duo amores. prop. 44. cupiditas & caritas. De primo ergo ad ultimum, illi etiam exclusi erunt ab Ecclesia, qui timore poenae a peccatis se continent: prout etiam confirmat prop. 8. *Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi quatenus participes sumus ipsius NOVAE gratiae &c.* atque hac etiam excludit infantes, dormientes, vel hic & nunc nihil agentes, prout supra notatum est.

XIII. Theol. suppl. (3) fatetur, omnes in hoc consentire Theologos catholicos, injustos etiam & peccatores in Ecclesia esse ac de Ecclesia: attamen multos praeclearos Theologos sentire, eos non esse membra vera, nec simpliciter, corporis Ecclesiae, sed partes excrementitias, ac veluti humores malos ac peccantes corporis humani. in qua sententia affirmat fuisse quoque S. Augustinum, qui scriptum reliquit: (4) *Ac per hoc etiam nesciente Ecclesia propter malam pollutamque conscientiam damnata a Christo, jam in corpore Christi non sunt; quod est Ecclesia: quoniam non potest Christus habere MEMBRA damnata.* Et tract. 3. in Epist. Joan. de malis loquens, sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali.

XIV. Hac omnia libenter admitto, dummodo nomine partium excrementitiarum intelligantur illae, quae aliquem vitae gradum, aliquem adhuc participant a corpore & capite influxum, ut sunt humores, dentes, pilii, & alia, quae non sunt membra, uti loquitur Bellarminus ab eodem citatus. (5) Hoc etiam S. Augustinus insinuare videtur voluisse, dum primo loco negavit malos MEMBRA esse Christi; secundo tamen loco, & aliis a nobis supra adductis, admittit eos in Ecclesia esse: quod bene reflectendum. Sic S. Thomas 3. p. q. 8. a. 3. ad 2. *Qui vero his (mortalibus) subduntur peccatis, non sunt membra Christi actualiter... nisi forte imperfecte, per fidem informem, quae unit Christo secundum quia, & non simpliciter... fides enim sine operibus mortua est... Percipiunt tamen tales a Christo quandam actum vitae, qui est credere: sicut si membrum mortificatum moveatur aequaliter ab homine. Aliud siquidem est in corpore Ecclesiae esse, aliud etiam membrum Christi simpliciter esse.* Primum concedit Augustinus & Thomas malis, secundum negat. Hac ergo sententia in Quesnello minime damnata est. Quid ergo? An quod oblique saltem, prosequitur Theol. Suppl., videtur Quesnellus innuere, peccatores nulla ratione ad corpus Christi mysticum pertinere; nulloque illos titulo Christum ut caput, Deum ut Patrem agnoscere? Imo vero ipsissimum hoc est dogma in Quesnello damnatum. Nec oblique solum illud innuit, sed clarissimis verbis expressit dicens: prop. 77. *Cessant interius habere Deum pro Patre & Christum pro capite, quid clarius? Quod si hoc noaudum sufficit ad eum errorem, non oblique solum, sed directe insinuandum, addatur prop. 78. Separatur quis a populo electo (cujus figura fuit populus Judaicorum, & caput est Christus) tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio. Videtur, qualiter Quesnellus par sit malis christianis, ac infidelis? Nulla ergo ratione ad corpus Christi mysticum pertinet peccator, secundum Quesnellum; sicut nec infidelis.*

XV. Nec juvat Quesnellum, observatio Auctoris, (6) Theol. suppl., videlicet: *hominem tam non vivendo secundum Evangelium, ab INTERNO Ecclesia spiritu, animaque vivificante INTERIUS separari; quam non credendo Evangelio ab EXTERNA fidelium societate separari.* Non juvat; inquam; tum quod absque ullo fundamento talis moderatio Quesnelli verbis adhibeatur: tum quod verba eius talem omnino respuant moderationem, ob paritatem positam mali fidelis cum infidelis: caeteraque ei propositioni in opere Reflex. moral. ad juncta. Sic enim habet Act. 3. v. 23. *quae damnata Theis desumpta est, editio gall. 1693. Le peuple Juif estoit la figure du peuple élu, dont J. C. est le chef. L'excommunication la plus terrible, est de n'être point de ce peuple; & de n'avoir point de part à J. C. & on s'en vante avec auidition en ne vivant pas selon l'Évangile, qui en envero, yans pas à l'Évangile.* Editio latina 1695. *Populus Judaicus figura erat populi electi, cuius caput est Christus. Excommunicatio maxima terribilis haec est, ex illo populo non esse, & Jesu Christo non participare: PERINDE autem ab eo resindimur non vivendo secundum Evangelium, ac non credendo Evangelio.* Ecce PERINDE, (gallice, auidition) uterque recessus a populo electo & Christo. Ex populo illo non esse: Jesu Christo non participare: excommunicatus dicitur; tam malus christianus, ac infidelis: quae omnia, uti dixi, attentionem moderationem plane respuant.

XVI. Imo, est solum innuere videntur Quesnellianae propositiones errorem indicatum, nonne hoc

hoc sufficere, deberet ad justam ejus proscriptionem? Judicent inter nos Doctores Sorbonae in causa Quesnelliana minime suspecti, qui Erasmi olim propositiones plurimas censurarunt. Dixerat Erasmus Marci 3. *Ecclesia Christi, neque mutos, neque caecos, neque claudos recipit: hujusmodi autem habet Synagoga.* Quid ad hanc prop. Sorbonae Magistri? (1) *Hec propositio, inquit, sic indistincte posita, INNUERE videtur, solos justos esse de Ecclesia militante (de illa tantum sit ibi sermo) non autem consonat doctrinae Evangelicae, quae comparat regnum caelorum, quod est Ecclesia militans, sagena misse in mare, & ex omni genere piscium congreganti: & agro Dominico, in quo cum tritico subsistantur zizania.* Et nonne longe clarius eundem errorem innuunt Quesnellianae? Qualem ergo censuram, credimus, in eas strinxissent zelosi illi fidei defensores? Longe, haud dubie, acriorem: praesertim, cum scripserit Paschasius postquam Novatores saeculi 16. duplicem commenti sunt Ecclesiam: post Tridentinum, e cuius vel Catechismo, Sedis Apostolicae iudicio, & omnium utilitate comprobato, disere poterat, quid Ecclesia hac de re sentiat. Sic enim habet part. I. ad illas particulas noni articuli Symboli, *Sanctorum communionem, num. 26. Membra vero mortua, nimirum homines sceleribus obstricti, & a Dei gratia alienari, hoc quidem bono non privantur, ut hujus corporis membra esse desinant: sed cum sint mortua, fructum spirituale, qui ad justos & pios homines pervenit, non percipiunt: tamen, cum in Ecclesia sint, ad amissam gratiam vitamque recuperandam ab eis adiuvantur, qui spiritu vivunt; & eos fructus capiunt, quorum expertes esse dubitari non potest, qui omnino ab Ecclesia sunt praecisi.*

REFLEXIO SEPTIMA.

XVII. Summus Ecclesiae Pastor ac Pontifex Joannes XXII. in Bulla: *Gloriosam Ecclesiam*, recensens errores Fratricellorum, primo loco refert, huic Quesnellianae doctrinae non multum ab similem. „ Primum itaque error, inquit, qui de istorum officina tenebrosa prorumpit, duas fingit Ecclesias, unam carnalem... aliam spiritua- lem, frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam: in qua ipsi soli eorumque complices continentur, cui etiam ipsi spiritualis vitae merito, si qua fides est adhibenda mendacis, principantur. Quae impietas sic istis sceleratis est propria, ut a nulla haerese possit esse sejuncta: quippe omnes impii, dum praeve in fide sentiunt, dum ab unitate Ecclesiae atque obedientiae per contumaciam separantur, universitatem fidelium carni, se ipsos vero spiritui servire, frivolis assertionibus mentiuntur &c.

XVIII. Hunc errorem non obscure indicant pp. jam discussae. Hinc mihi persuadeo, Quesnellum id in animo gessisse, ut vel novam Ecclesiam conderet, aut antiquam reformaret. Homo scilicet privatus, nulla auctoritate munitus; nec a Deo aut ullo homine, auctoritate habente, ad in muneris destinatus; nulla divinae missionis indicia ostentans: quo argumento SS. Patres, ac controversista omnes, contra antiquas, & recentiores haereses, praesertim Lutheri, atque Calvinii proferre semper ipsi sunt. Coepert autem Quesnelliana factio Ordo appellari, cuius Abbatem (sic vocabatur Antonius Arnaldus) mortuo successit Quesnellus sub P. Prioris titulo: signum utique deficientis jam in incunabulis suis Sectae. Qualis autem esse debuisset nova haec Quesnelliana Ecclesia? Sorry Tom. V.

fia, ex praememoratis, ac sequentibus etiam propositionibus: quibus varia puncta, usu Ecclesiae Romanae, quae Mater est ac Magistra Ecclesiarum omnium, consecrata, arrodere, perstringere, abolere tentavit: poterit aliquo usque parere. Ad quas priusquam accedamus, Quaestioni sequenti respondendum.

XIX. Ecquid, dicit aliquis, intendunt, vel consequi se posse confidunt, qui contra apertas Scripturas, peccatores ab Ecclesia excludunt? Rem acu terigisse mihi videtur Eximius noster Norbertus Van Bilfen S. T. in Univerf. Lovan. Doctor, quondam Theologus Casanatenfis, ac hodie Provin. Germ. Infer. iterata vice Provincialis, in Theibus suis Theologicis, Thefi I. pag. 31.: „ Quam vereor, inquit, ne praeposterus ille sanctitatis zelus nobis malum ferat, & ne, dum peccatoribus Ecclesia occluditur, omnis denique iisdem obferret auctoritas. Nam facile est, ut quibus membri honorem denegas, deneges & a capite influxum; & dicas, neminem particularem, aut universalem Ecclesiae caput esse posse, qui nullus Ecclesiae pars est, aut membrum. Quo utroque posito, Malorum nutabit auctoritas, & iurisdicchio; ac tandem de totius ministerii, & ordinis dubitabitur exercitio. Sequelas istas negabit, credo, propositionum auctor, & merito quidem. Non desuerunt tamen qui admiserunt, & eas ex positis principiis legitime consequi professi sunt. Nec alius, puto, maximis nitentur illa, quae in Joanne Wicleff, & Hus damnavit Constantiensis Concilium. „ Hucusque praefatus Eximius. Quam hic instituit cum Joanne Wicleff, & Hus comparationem, iustissimam, nec exaggeratam puto: quia, si demas, illos malis auctoritatem, & iurisdictionem verbis expressis eripuisse, Quesnellus hos etiam audacia superavit: ut ex sequentibus, spero, manifestum fiet.

C A P. X.

De efficacia gratiae baptismalis.

§. I.

Propositio Quesnelliana censura notata.

Primus effectus gratiae baptismalis, est facere, ut moriamur peccato; adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitae pro peccato, quam homo mortuus pro rebus hujus mundi. Est 43. Quesnell. Rom. 6. v. 2.

V Idimus praecedenti capite exclusos ab Ecclesia peccatores: omnes qui non ducunt vitam dignam filio Dei & membro Christi: eos quoque qui ex timore continent sese a peccatis. Hic jam incipit Quesnellus novae suae Ecclesiae fundamenta ponere; ad quam non pertinemus, nisi effectum hunc gratiae baptismalis perceperimus: quippe ex prop. 8. *Nos non pertinemus ad novum foedus, nisi quatenus participes sumus ipsius ipsius gratiae; ejusque effectuum: quos nisi quis in se experiatur, sperare haud potest, se de Ecclesia esse. At quis sperare poterit esse se de Ecclesia, si effectus in damnata Thefi praescriptos debeat in se experi? O Doctor gentium Paule, fuisti tu, dum viveres, membrum Ecclesiae Christi? Exclamas quidem confidenter, de Christo loquens: (2) Qui tradidit semetipsum pro me: Sed unde tibi tantam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuae?*

(1) Ad Eph. 1. v. 20. (2) Vid. pag. 43. n. 9. & pag. 179. nu. 81. (3) Pag. 88. (4) Libro 2. cap. 21. contra Cresconium. (5) Lib. 3. de Eccl. Mil. ca. p. 9. (6) Pag. 91.

(1) Tit. 26. censura contra Erasmus. (2) Gal. 2. v. 20.

tuae? Nonne quereris datum tibi stimulum carnis, angelum sathana qui te colaphizet? Nonne scriptum: *Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago?* Hæc omnia dum fateris, primum effectum gratiæ baptismalis, a Quesnellio prædicatam non attigisti, nec expertus es. Vana erat ergo spes tua. Proh enim! *Quantum operet bonis terrenis renunciasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem & mysteria. Moriamur peccato oportet, adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus pro rebus hujus mundi.* At tu, optime Paule! illuc usque non dum perveneras, quando illa scribebas: *Sentio aliam legem in membris meis &c.*

II. Puto enimvero Quesnellum nec Paulum Apostolum, omnia prædicta de se humiliter fatentem, ad Ecclesiam suam admittendum fuisse. Apagat fanaticam sanctitatis affectationem. Ubi gentium erit Ecclesia, si nullus ad eam pertinet, nisi novæ Christi gratiæ particeps, cujus primus effectus ille sit, quem commentus est Quesnellus? In infantium baptizatorum cunis quaerenda erit; si tamen & ibi inveniri, juxta Quesnelli principia, possit: cum incapaces sint infantes illius novæ gratiæ, qua Deus in nobis operatur quod præcipit; sine qua non pertinemus, ut vult Quesnellus, ad novam legem. Chimærica est ergo Quesnelli Ecclesia, non secus ac a Platone olim somniata Respublica. Fatemur Catholici, cum Tridentino (I) „Manere in Baptizati concupiscentiam, vel fomitem, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet: quinimo, qui legitime certaverit, corroborabitur.

III. Quam pauci, imo quam nulli sunt homines in terra, qui hunc primum gratiæ baptismalis effectum habeant, & experiantur, agnoscit Quesnellus ipse, dum statim post propositionem damnatam addit: *Ab! quis est qui amor laudum, qui omnibus voluptatibus, & omnibus cupiditatibus seculi mortuus est?* Nulli ergo, aut saltem paucissimi erunt, qui gratiam recipient baptismalem; quippe quæ est a suo effectu primario inseparabilis. Ubi est ergo Trident. canon. 7. sels. 7. De Sacramentis: *Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta, SEMPER, ET OMNIBUS; quantum est ex parte Dei: etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit?*

IV. Eum mortis spiritualis effectum non semper consequitur baptizatus, inquit Theologia suppl. (2) culpa utique sua, non insufficientia Sacramenti. Sed quam, obsecro, culpam committunt miriades infantium qui baptizantur, nec tamen hunc effectum consequuntur? Addit: *Idcirco forte ea damnata est propositio, quod eum gratiæ baptismalis effectum statim, & ab omnibus pleno, & integre obtineri, videatur asserere.* Potius contrarium existimo omnino verum; ideo damnatam, quod videatur asserere, paucissimos, imo nullos consequi effectum primarium gratiæ baptismalis in hac vita, sed in futura solum. adeoque nec ipsam gratiam; quæ, ut omnes aliæ formæ, communicari non potest, nisi saltem effectum primum conferat. Inde illa Quesnelli exclamatio: *Ab! quam pauci &c.* & rursus ad v. 52. ejusdem capituli: *in maximis Sanctis, dum vivunt, vivit lex peccati, quis non contremiscent, quis extollere se audeat? Quæ omnia ad minus suspectum reddunt Quesnellum violati canonis 7. citati. sufficienterque ad justam damnationem. Quod si addere volumus verba Quesnellii*

cap. 9. n. 4. descripta: *Spiritus Dei non est nisi pro filiis Dei, omnino manifestum erit Quesnellum renovasse errorem a Trid. loc. cit. damnatum.*

V. Frustra autem idem auctor adducit Apostolum dicentem ad Rom. 6. (3) *Quicumque baptizati sumus in C. J. in morte ipsius baptizati sumus: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Hoc scientes, quia vetus homo noster crucifixus est, ut destruat corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato &c.* Scimus enim quid Apostolo sit, nos crucifixos esse, mortuos esse &c. imo satis se ipse explicat verbis illis: *ut ultra non serviamus peccato; quod toto celo distat ab hoc, quod est, spiritum, cor, sensum, id est, intellectum, voluntatem, & sensualitatem, non plus vitæ habere pro peccato, quam homo mortuus pro rebus hujus mundi.* Unde idem Paulus, quantumcumque se dicat mortuum peccato, mortuum mundo, mundum sibi, & se mundo crucifixum; alibi tamen meminit habitantis in se peccati; optatque liberari a corpore mortis hujus &c.

VI. Pari successu, id est nullo, allegat pag. 199. auctoritatem Gregorii Nysseni, baptizatum ita loquentem inducentis: (4) *Si conformes morti facti sumus, mortuum propterea deinceps in nobis peccatum est, lancea Baptismatis. . . Mortuus corpora non amat, mortuus non capit divitiis, mortuus non calumniatur, mortuus non mentitur, non rapit ea quæ ad se non pertinent, non conviciatur sibi obviis factis &c.* Ubi signanter observandum, quod cum dicere etiam potuisset, mortuus non sentit ullam concupiscentiam carnis, ullam mortum iræ, vindictæ &c. ab iis tamen, & similibus abstinet S. Gregorius. Quare? Quia sciebat tantum se ab homine spiritualiter mortuo in hac vita exigere non posse: sed unice, quod non debeat amare corpora, sine re capi divitiis, neminem calumniari, non mentiri, aliena non rapere: hæc enim omnia in hac vita vitari possunt, non prima. Hinc concludit S. Gregorius: *Hoc pactum in traditione mysterii, Baptismalis, cum Deo fecit, cum omnem & prænam & cruciatum & voluptatem, pro illius dilectione se NE- GLECTURUM (non dicit, se non sensurum) promisit.* Juxta Quesnellum vero, habens vel primum effectum gratiæ baptismalis, ne sentire quidem debet, aut potest ullam voluptatis titillationem.

VII. Præter hunc sensum, quem statim ingerit hæc propositio in se peccata, habet alium, attentis Quesnelli principiiis. Quam alibi dicit NOVAM GRATIAM, ad fœdus novum pertinentem, hic indigitat nomine gratiæ baptismalis, quasi Christianis propria, minime Judæis: sicque intelligenda foret propositio de gratiæ operationis, faceretque hunc sensum: gratiam operationis, seu efficacem, tam potenter rapere hominem, ut non plus possit oppositum, quam homo mortuus opera vitæ elicere. Sicque manifeste reproducit gratiam necessitantem, in Bajo, & Jansenio olim damnatam. Hunc esse sensum præcipue a Quesnello intentum, persuadet Magistri ejus Jansenii expressio, *De grat. Cbr. lib. 4. c. 9. ante finem: Nam quemadmodum hic ante gratiam istius celestis delectationis, non poterat quidquam agere boni; dominante ei sola delectatione creatura; ita post eam ABSORPTAM EXTINGUAMQUE PENITUS, nihil potest agere mali, dominante ei sola delectatione Creatoris.* De hoc sensu dictum est pag. 185. in fine. Quocumque ergo modo sumatur hæc propositio: five absolute ut jacet, five

five per ordinem ad alias propositiones, in sensu obvio est damnabilis, meritoque damnata; veluti continens, aut suspecta saltem duplicis hæresis, ut dictum est.

VIII. Si ergo juxta Quesnellum non pertinet ad novum fœdus, id est, Ecclesiam Christi, nisi quatenus participes sumus novæ istius gratiæ, qua ita perfecti reddimur, ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus pro rebus hujus mundi; aut, qua ita agitur ad bonum, ut non magis oppositum, quam mortuus opera vitæ, elicere possimus; cum tanta perfectio vel in nullis, vel in rarissimis deprehendatur; audio quidem Quesnellum clamantem: *Nihil spatiosius Ecclesia Dei;* sed eam utur spatiosam Ecclesiam minime video, nec invenio; nec ubi Quesnellus eam invenerit, scio: nisi forte, se in Belgio, ac deinceps in Hollandia, unum aut alterum in Gallia, alium quempiam in Italia, existentem, ad eum perfectionis gradum pervenisse, ac novam illam Ecclesiam constituere arbitratu sit; sicque ea spatiosa sit non numero credentium, sed distantia locorum: nisi, inquam, hoc intellexerit Quesnellus, nullatenus video, qui potuerit exclamare: *Nihil spatiosius Ecclesia Dei &c.*

REFLEXIO OCTAVA.

IX. Mirabitur fortassis aliquis, quod post assignatum sensum, num. 7. ab auctore præcipue intentum nuncupatum, hic rursus alius sensus tribuatur uni & eidem propositioni. Sed desinet mirari, si dixerit id me fecisse, quod Auctor Theologie Suppl. sæpius repetat, Theologis haud curæ esse debere, quid Quesnellus animo gesserit, aut exprimere intendit. Hæc ergo licentia usus, novum, nec tamen violentum huic propositioni sensum dandum esse putavi; ut sic magis pateat Quesnelli librum nonnisi fœdissimum esse cloacam; unde innumeri errores a legentibus hauriri possunt. Quod ut roboretur magis, addamus ex S. Thoma, (1) *Habet humana mens, duas contrarias inclinatioes, unam quidem in bonum. . . . quam considerans Jeronimus, dixit, hominem non posse peccare: alia inclinatio inest humane menti ex inferioribus vicibus, & præcipue secundum quod sunt ex originali peccato corrupta: qua scilicet inclinatur mens ad eligendum que sunt secundum carnem delectabilia: & hanc considerantes Martinus, dixerunt, quod homo necessario peccat, nec aliquo modo peccatum vitare potest. Et sic uterque, licet viis contrariis, in idem inconveniens incidunt, ut liberum arbitrium denegarent. Hunc errorem manifeste renovat Quesnellus, dum cum Jansenio docet, (2) quod liberum arbitrium ante gratiam, non sit amplius liberum ad agendum bonum, sed tantummodo ad malum (quod alibi ostensum est): & hic vice versa asserit, hominem sub gratia baptismali, id est, medicinali Christi, non habere plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus pro rebus hujus mundi. Igitur, vel est necessitatus ad malum, vel ad bonum: ubi ergo libertas? (3) Addamus & Faustii Socini errorem, apud Alex. Natal. Hist. Eccl. Sec. XV. & XVI. docentis: *Visibilem Ecclesiam perpetuo non extitisse, aut porro existuram: si enim medicinalis illa Quesnelli gratia, baptismalis est, hoc est, Ecclesiæ novi Testamenti propria; Synagoga ea privata fuit: ubi ergo tunc fuit Christi Ecclesia? Nam sicut una hirundo non facit ver, ita unus aut alter iustus; quos forte non difficulter**

admitteret Quesnellista in veteri lege, non facit cœterum, seu Ecclesiam. Hæc ergo prop. non unum continet errorem: ac propterea justissime condemnata est, juxta regulam 2. datam.

X. Rursus ex Augustino habemus, Pelagianos quidpiam huic Quesnelliano errori simile docuisse: (4) *Etiam hoc, inquit August., Pelagiani audent dicere: hominem justum in hac vita nullum habere omnino peccatum: & in talibus hominibus esse jam in præseni tempore Ecclesiam non habentem maculam neque rugam, aut aliquid ejusmodi; qua una & sola sponsa sit Christi: tamquam sponsa ejus non sit, quæ per universam terram, quod ab eo didicit, dicit: Dimitte nobis debita nostra. En ipsissimum Quesnelli errorem. Si enim primus effectus gratiæ baptismalis (quæ utique nova gratia novi fœderis) sit, efficere, ut non plus vitæ habeamus pro peccato, quam homo mortuus habet pro rebus hujus mundi: si non pertinemus ad novum fœdus, ut ait prop. 8. (id est Ecclesiam) nisi quatenus participes sumus ipsius novæ gratiæ; consequens est, ut in Ecclesia non nisi tales sint: adeoque in talibus hominibus est jam Ecclesia, non habens maculam, neque rugam. Videri etiam potest scriptum adversus Pelagii errores, quod extat Tom. X. novæ edit. operum S. August. in appendice, ubi inter illius hæresiarum errores receleatur: *Filius Dei non posse vocari, nisi omnimode absque peccato fuerint effecti; cum enim gratiæ baptismalis effectus sit, translatio filiorum Adæ in statum filiorum Dei; si primus hujus gratiæ effectus sit, facere, ut omnino moriamur peccato, nemo vocari poterit filius Dei, nisi omnino absque peccato, peccatique affectu & sensu fuerit. Quis non miretur Quesnellum tam fidum in multis Lutheri & Calvinii sectatorem, hic in Pelagii errorem istum præcipitare? Sed hæc fors est eorum, qui media via relicta incedunt, ut in quævis præcipitia labantur; dum ducem & pastorem sibi a Deo datum reculant audire & sequi. Præterea, apud Prædestinatiani in Quesnello rediivi, etiam Cellotium docuere, quod (5) soli prædestinati ad vitam per baptismum in membra Christi coaptantur, & verum corpus, vera Ecclesia consociantur; cæteris perfunctorio & frustratorio detur &c. Hoc etiam implicite hic docet Paschasius, dum tales nobis gratiæ baptismalis describit effectus, quos vix ulli, si tamen ulli, percipiunt. Ecce quot, & quantos errores unica Quesnelli prop. renovat! Ex hac errorum callurie in præparato postea, agnoscite, o! Quesnelliani, (6) quanto demum veneno ejusmodi liber, tamesi dulcibus subdole illius fucis, non modo conspersus, sed plane infectus sit; nec quisquam deinceps eundem satis emendatum infidelium manibus obrudere se posse confidat.**

CAP.

(1) Sels. 5. Can. 5. (2) Pag. 200. (3) Pag. 198. (4) Orat. de S. Baptizate.

(1) Q. 24. de verit. a. 12. (2) De grat. Salv. lib. 4. c. 10. (3) Cap. 2. Art. 13. §. 4. n. 26. (4) De dono persever. cap. 5. (5) In appar. ad Hist. Gottschalci. (6) Clem. XI. ad Episc. Gal. die 10. Nov. 1716.

CAPUT XI.

De censurarum & juramentorum usu.

§. I.

Proposio Quesnelliana, censura notata.

Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidelium fidem, & fieri divisiones propter res, quae nec fidem laedunt, nec mores. Est. 94. Quesnell. Rom. 14. v. 16.

I. Vetus haereticorum cantilena est, Ecclesiam Romanam, Romanove Pontifices dominatum affectare supra fidem fidelium; dum eorum nova, periculosa, erronea, haeretica dogmata profertur. Quo vero Ecclesiae pastores profundo somno, si fieri posset, immergant, ut securi zizania sua tritico superfeminare valeant, ad jungunt, nova sua dogmata nihil ad fidem, ad mores facere nihil. Hisce vestigiis inhæret hic Quesnellus. Primo igitur Ecclesiam sacrilege accusat usurpatam dominatorem supra fidelium fidem. Immemor Christum dixisse Petro, *Pasce oves meas, pasce agnos meos*: Immemor Paulum ipsum, Deo auctore, ascendisse Jerusalem, ut ipse testatur ad Gal. 2. *Ascendi autem secundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod praedico in gentibus* &c. Immemor, ex omnibus mundi partibus consultos in fidei negotiis Petri Successores: immemor ipsos Galliae Episcopos non ita quidem, contra novaturientia ingenia a Sede Petri postulasse, ut quid tenere quid credere deberent, docerentur: pastoralis sollicitudinis omnibus impensa officia, Dominatum supra fidem fidelium, per summam impietatem appellat. An dominatum illum exercuit Romana sedes, propositiones laxiores demandando? An, librum *Maximus de Sanctis*, aut librum *Molinus* proscrubendo? An Bajum, Janfenium, hujusque affectarum propositiones rigidiores anathematizando? Eligant Quesnellii affecta: ex ore ipsorum eos judicabimus. Nos interea cum Augustino gaudebimus, Ecclesiam talem esse, ut comparari possit Mulieri isti, de qua *Prov. 2.* dicitur, *Severa sunt conversationis domus ejus*: post quae addit S. August. (1) *Sed ut non eo usque progrediatur dementia, potius temeritas, quam severitas diligentia, ut quasi bonos a malis per nefaria schismata separare presumat: neque enim per has similitudines & praeviationes consilium desiderium datum est bonis, qua negligant quod prohibere debent, sed patientia, qua perseverant, SALVA DOCTRINA VERITATIS, quod emendare non valent.*

II. Sed, multa sunt Romae proscripta, quae nec fidem laedunt nec mores; foveanturque ita divisiones. Audio. Sed scio etiam Eudoxium Ariandum nos interim Deum laudabimus, quod dederit Ecclesiae suae pastores vigilantes, quibus necesse non sit scribere illa *Apo. 2. v. 2.* *Angelo Pergami . . . habeo adversum te pauca, quia habes illic venientes doctrinam Balaam . . . ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum . . . Et Angelo Thyatire . . . habeo adversum te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quae se dicit prophetem docere, & seducere servos meos fornicari & manducare de idolothyris* &c. Similia, abist, ut Angelo Ecclesiae Romanae scribere sit opus. Addendum quoque, videri Quesnellum hac propositione negasse Ecclesiae vim coercitivam in materia doctrinae; hoc

Constitutioni Unigenitus? Nonne ideo se debitam obedientiam nondum praestitisse affirmant: *Quia verentur, ne per illam catholicam dogmata convellantur: ne laudabilis, & ab hac sancta sede probata Ecclesiastica disciplina infringatur: neve denum salubriores Christianorum Morum regule subvertantur?* (3) Cur Quesnellus ipse, propter res adiaiphoras, sponte exul factus est? Dicamus quod res est: speravit Quesnellus fieri posse, ut illa monitione praevia, sopiretur sollicitudo pastorum Ecclesiae: doctrina sua radices interea ageret, ramos expanderet, antiquam Ecclesiae fidem suffocaret, tumque facilius pro fidei dogmatibus vendicaret, quae prius pro indifferentibus sparserat. At Spiritus praedicens castris Dei viventis, a similibus sirenarum cantibus jam olim docuit cavendum; induensque summum in terris Ecclesiae Pastorem virtute ex alto, zizania compressit in herba: inde gemitus, inde strus, inde indignatio in Romanam Sedem: inde, quae prius indifferentia, nunc articuli fidei dicuntur.

III. Interim vero liceat Quesnellitarum novae sectae huic dominati, ut ipsi vocant (revera tamen pastoralis sollicitudo & cura dicenda est) renunciare: liceat unicuique ipsorum quae maluerit dogmatizare: fatebuntur brevi vel inviti, sectam suam, non jam propter solum Babyloniensem, verum ob dogmatum confusionem, recte Ecclesiam Babylonis nominandam. Mirari autem factis non possum, quod Auctor *Theol. Suppl.* relatis hac & aliis quatuor propositionibus, deinde pag. 156. dicat. *Cum nihil dogmatis propositiones illic continent, sed asperas tantum grassantium nonnullorum abusum insinuationes complectantur; nulla Theologiae monitione opus est, ut intelligant, nullum in eis errorem fuisse deprehensum* &c. ut enim omitam, eum videri hanc propositionem renovare, dum grassantium nonnullorum abusum remittit, non video quomodo ad Dogma non pertineat, asserere, in Ecclesia dominatum exerceri supra fidelium fidem, & fieri divisiones propter res, quae nec fidem laedunt, nec mores? Scimus illas RES esse dogmata vel Baii vel Janfenii, vel ipsius Quesnellii, vel denique omnium istorum, quae Ecclesia sub variis censuris, etiam haereticis, proscripta. Quod si nulla ex istis haeretica sunt, quomodo Ecclesia non erravit in fide, dum illa vel ex illis aliqua ut haeretica proscripta, eorumque contradictoria, ex consequenti, ad fidem pertinere definivit? Ad fidem pertinet aliquid dupliciter, inquit S. Thomas 3. p. q. 33. ar. 3. uno modo directe . . . indirecte vero ad fidem pertinent ea ex quibus consequitur aliquid contrarium fidei. At si exercetur Dominatus in Ecclesia supra fidem fidelium, res quae nec fidem laedunt, nec mores tractando, ac si ad fidem pertinerent, sequitur Ecclesiam errare in fide; quod est haereticum asserere.

IV. Haec & alia, quae plurima in hanc rem dici poterant, consideret, obsecro, auctor iste: dum nos interim Deum laudabimus, quod dederit Ecclesiae suae pastores vigilantes, quibus necesse non sit scribere illa *Apo. 2. v. 2.* *Angelo Pergami . . . habeo adversum te pauca, quia habes illic venientes doctrinam Balaam . . . ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum . . . Et Angelo Thyatire . . . habeo adversum te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quae se dicit prophetem docere, & seducere servos meos fornicari & manducare de idolothyris* &c. Similia, abist, ut Angelo Ecclesiae Romanae scribere sit opus. Addendum quoque, videri Quesnellum hac propositione negasse Ecclesiae vim coercitivam in materia doctrinae; hoc

hoc est, Ecclesiam habere potestatem censuris aliisque remediis coercenda petulantia ingenia, ne novas procedant opiniones. Equis enim questus est unquam de usu potestatis, quam credit a Christo Ecclesiae datam. Hoc si verum est, incidit Quesnellus in haesum Marci Ant. de Dominis, eam etiam potestatem Ecclesiae ausu eripere; uti in *Reflexione* dicitur. Si autem praetendas non de usu, sed de illius potestatis abusu questum Paschasium, jam fateri cogentis, insigni injuria affectisse Praelatos Ecclesiae, dum eos accusat, quasi potestate sibi a Christo tradita, non in Ecclesia, sed propriam utantur utilitatem: hoc enim esset dominari fidei fidelium, uti docet S. Thomas.

§. II.

Proposio Quesnelliana, censura notata.

Nihil spiritui Dei, & Doctrinae Jesu Christi magis opponitur, quam communia sacrae juramenta in Ecclesia: quia hoc est multiplicare occasiones peccandi, laqueos tendere infirmis & idiotis, & effici ut nomen & veritas Dei aliquando deserantur consilio impiorum. Est 101. Quesnell. Matth. 5. v. 37.

V. Postquam Quesnellus plenam libertatem esse voluit unicuique, sententiis quod vellet, non poterat non abrogare consuetudinem exigendi in certis casibus juramentum a quibusdam personis. Hac consuetudo viget in Ecclesia; atque etiam a Principibus secularibus adhibetur; quo magis se affectent de fidelitate suorum subditorum. Sed cavet Quesnellus tangere saeculares principes: unde addidit, in Ecclesia. Non loqui Quesnellum de consuetudine leviter & continuo jurandi, satis patet ex ipsa textura propositionis. Si enim de hac sermo ei fuisset, non dixisset: *communia sacrae juramenta*; sed: *leviter aut frequenter jurare*. Nec addidisset: *in Ecclesia*; nam aequè id periculosum est extra Ecclesiam. Rursus improprie diceret: *Hoc est multiplicare occasiones peccandi*: rectius quippe dixisset, *Hoc est se exponere periculo peccandi*. Deinde ultima verba: *Hoc est . . . laqueos tendere infirmis & idiotis, & effici ut nomen & veritas Dei aliquando deserantur consilio impiorum*, non de consuetudine jurandi, ab aliquibus male contracta; sed de usu exigendi a quibusdam juramentum, ut facit Ecclesia ab ordinandis, & officiis quibusdam praeficiendis, manifestum est debere intelligi.

VI. Idem clarius patet ex versione latina *Reflexionum Moralium*, in qua sic lego: (1) *Juramenti abusus AB EXIGENTIS incredulitate, aut ab ejus, a quo EXIGITUR, malitia, aut a levitate & irreverentia proficiscitur*. Tum sequitur: *Nihil adeo Spiritui divinae atque doctrinae Jesu Christi adversatur, quam juramenta in Ecclesia communia REDDERE, hoc enim perjurii occasiones multiplicare est, infirmis atque ignorantibus insidias TENDERE, Dei nomen & veritatem, malorum quandoque hominum consiliis exequendis sacrilega reddere instrumenta*. Ubi notandum quod expresse sermo sit de exigente juramentum, ac de eo a quo exigitur, non de eo qui ex se jurat. Tum vero etiam illud: *Juramenta in Ecclesia communia REDDERE*, gallice: *Reddres les sermens communs*: id quod aliquo modo facit is, qui legem condit, secundum quam a quibusdam est exigendum juramentum: Denique quod addat, *hoc esse infirmis atque ignorantibus insidias tendere*: quod sano sensu intelligi non potest, nisi de consuetudine exi-

gendi juramentum; sicut nec illud quod sequitur: *Dei nomen & veritatem, malorum quandoque hominum consiliis exequendis, sacrilega reddere instrumenta*, quod non de jurandi consuetudine, sed de lege exigente juramenta aperte intelligitur.

VII. Igitur Quesnellus manifeste hic damnat praxim Universalis Ecclesiae; non sine maxima ac evidente necessitate, instantibus ipso Galliae Rege Ludovico XIV. ac Galliae Episcopis introductam, seu potius renovatam; atque cum ingenti utilitate hucusque in praxim deductam. Interim Auctor *Theol. Suppl.* asserere non dubitat: (2) *Quidquid continet dogmatis propositio illa, si dei nostrae caput est, sacris in litteris revelatum, Putat enim, aut simulat Quesnellum textibus Scripturae, Jurandi consuetudinem improbatam, ab usum haud fuisse, ad fugillandam, quae in usu Ecclesiae est, juramenti exactionem: unde concludit: (3) Non ab aliud ergo damnata videtur propositio, quam ob sinistram proferentis intentionem: qui de juramentis in formularii subscriptione dari solent, ita dixisse credidit est. Verum existimo satis me ostendisse, non de nihilo ita creditum, sed huic esse sensum naturalem & obvium hujus propositionis; tum ex ipsiusmet propositionis verbis: tum ex iis etiam, quae illam praecedunt eive adiunguntur. Quae si sedato ac tranquillo animo voluerit expendere, confido me auctorem illum consentientem habiturum: unaque mecum dicturum: propositionem hanc, attentis, uti debent, circumstantiis personae, cuius est; & temporis quo scripta est, caetera inter juramenta, fugillare etiam illud, quod in Formularii subscriptione exigi solitum est. Huc pertinet regula sexta cap. 2. §. 1. assignata; quod ad diducandum propositionis sensum, quid ejus auctor alibi docuerit, attendi debeat. Jam vero Quesnellus docuit (uti legitime probatum esse testantur Doctores Lovanien. hic cap. 2. §. 2.) *Perjurium & sacrilegium esse, subscribere formularia Alexandri VII. in eum sensum, ut damnentur doctrina Janfenii, quem Ecclesia Magistrum appellat*. Est art. 15. Quis ergo dubitet, quin, dum hic fugillat consuetudinem exigendi juramentum, quia hoc est multiplicare occasiones peccandi; praecipue intenderit loqui de juramento in negotio Formularii? Ad minus negari non potest; cum propositio ejus universalis sit, & in materia dogmatica; quod hoc etiam juramentum comprehendat, taxetque ita Ecclesiam, vel uterent medio, quo nihil spiritui Dei, & doctrinae Jesu Christi magis opponitur; id est, erroris in fide: quod nemo catholicus dubitat haereticum dicere.*

VIII. Illud autem non est praetereundum, quod Quesnellus sollicitè caverit ne hac sua propositione Principes offenderet saeculares: unde addidit, in Ecclesia. Notum quippe est Principes saeculares jam olim, nemine contradicente, juramentum ab iis, quos rebus suis praeficiunt, exigere solitos. Hanc praxim, tantum abest ut Quesnellus ausus fuerit arrodere, ut potius eam videatur approbare, cum, particula illa restrictiva in Ecclesia, tum, quia paulo ante verba superius ex versione latina *Reflexionum moralium* adducta, dicit: *Ob commodi temporalis exiguum, adhibere juramentum, religione abusi est*: Denique pecunia satellitem constituere: ubi restringens dictum suum ad casum, quo ob commodum temporale exiguum, adhibetur juramentum, satis innuit, in majoris momenti rebus, utique temporalibus, licite adhiberi. Et quomodo id poterat negare, cum de fide

(1) De fide & oper. c. ult. (2) Compend. Concert. tit. 33. (3) Bulla Pastoral. officii.

(1) Matth. 5. v. 37. (2) Pag. 95. (3) Pag. 96.